

adjuvari et corrigi præterierit, hic tanquam neglector et perversor sacræ substantiæ judicandus est. Quoniam oportet unumquemque laborare, et considerantius agere erga substantiam monasterii, ut ipse esset omnium dominus, et omnibus dominetur. Et iterum per nimiam humilitatem tanquam alienum se existimet, et ut nihil præter quotidiana ex ea requirat paxipatia.

XXIX. Si quis ad vocem compulsoris, sive invitantis ad aliud quodcumque, non statim surrexerit, hic inobediens reus est. Petat veniam ad Deum, et iterare non præsumat. Quoniam oportet unumquemque ad primam vocem invitantis assurgere; velut carbo ignis ardentis ascendisset super eum. Si autem obedientia hæc non fuerit, quam dicimus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est (Rom. xiv)*. Cum gaudio semper operandum est: *Gaudete in Domino, justi, et semper decet collaudatio (Psal. xxxii)*. Et iterum Apostolus dicit: *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete (Phil. iv)*. Si autem triste aliquid oblatum fuerit a nobis in donis Dei, non erit acceptabile apud Deum.

XXX. Tribus conventibus dici, totidemque noctis tempore in ecclesia conveniendum: tres psalmi in unoquoque conventu diei canendi sunt? duodecim vero in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam missam quæ celebratur ortu solis. Orationes vero et duæ lectiones, una de Veteri Testamento, et alia de Novo, in singulis noctis conventibus dicendæ sunt. In his vero conventibus, id est, sabati et dominicæ, usque ad gallorum cantus, missa celebranda est: et quomodo vires uniuscujusque sufficere potuerint, excubiæ petendæ sunt.

XXXI. Is vero qui ad primum psalmum in die non occurrit, in conventum fratrum non recipietur; sed postea in publico veniam petat. Si vero frequenter hoc faciat, confutabitur usque dum corrigatur. In noctis tempore usque ad secundum psalmum dilatio præbetur.

XXXII. In diebus vero dominicis eucharistia semper accipienda est ad remedium peccatorum: sed cum puro corde et omni sanctitate cordis et corporis oportet nos accedere ad corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEMTEM.

Hujus Regulæ auctor est incertus, quamvis sacræ antiquitatis mangones illam hactenus pro prima S. Augustini Regula vendiderint, ejusque S. doctoris antiquis operum editionibus interpolare ausi fuerint. Hodie enim omnes eruditi consentiunt, S. Augustinum nullam aliam Regulam scripsisse, nisi unam ad Virgines, quam Holstenius in hujus codicis tertia parte adducit, de qua igitur suo loco plura dicemus. Interea brevis est hæc Regula, novem articulos solummodo continens, gene-

ralia quædam præcepta circa statum monasticum tradens, haud aliunde dicta Consensoria monachorum, nisi quia communi omnium in illo monasterio presentium consensu promulgata fuerit; prout ex exordio colligimus. Antiquitatem autem ejusdem satis denotat, quod auctor citare solet S. Scripturam juxta antiquam Vulgatam, non vero secundum S. Hieronymi versionem.

REGULA CONSENSORIA MONACHORUM.

I. Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi.

Residentibus nobis in monasterio in nomine Domini nostri Jesu Christi omnibus placuit, secundum apostolicam traditionem, unum sentire et communiter possidere; sicut scriptum est: *Unum sentientes in Domino (Act. ii)*. Et nemo quidquam proprium vindicet: sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum: *Habentes omnia communia, et nemo quidquam suum esse dicebat (Ibid.)*, quod et nobis scriptum est. In Domino ergo jure observationis et legis nos tenemus, et in eo usque in finem permaneamus: quoniam scriptum est: *Qui permanserit usque in finem, hic salvus erit (Matth. x)*.

II. Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non ignorans Evangelii dictum, quo dixit: *Vendat omnia sua, eroget egenis et pauperibus (Matth. xix)*. Et iterum: *Abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur Christum (Luc. ix)*. Et ne tractet in corde suo

de victu, aut vestimento, et cæteris, quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino in Evangelio præmonente et dicente: *Nolite cogitare dicentes: Quid edetis, aut quid vestiemini? hæc enim gentes cogitant. Scit enim Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis (Matth. vi)*.

III. Verumtamen antequam statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, et ipse probetur in omni conversatione ab illo qui prior est, et cæteris consentientibus: propter illud quod Propheta docet et admonet, dicens: *Amicum noli cito comprobare.*

IV. Sed si contigerit ut aliquis ex quâlibet causa necessitatis a monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de his omnibus quæ in monasterio fuerint: sive etiam quæ secum aliquando attulerat; sive ea quæ cum fratribus acquisierit, quia scriptum est: *Vir mutabilis in lingua incidet in mala (Prov. xvii)*. Et iterum, ut nullum

minimo de fratribus secum provocet : ne magis de-structor quam ædicator monasterii judicetur ; propter illud quod scriptum est : *Qui non est mecum, contra me est : et qui mecum non congregat, dispergit* (Matth. xii). Et quicumque provocatus ab aliquo de monasterio voluerit abscedere, aut redarguat provocantem, aut indicet abbati, cui utique de his quæ in commune decrevimus nihil est subtrahendum, quia scriptum est : *Pacifici sint tibi multi; sed unus ex mille sit tibi consiliarius* (Eccli. vi)

V. Jugiter hæc quæ scripta sunt cum summa diligentia observanda sunt ab abbate usque ad omnes fratres. Aut si quis ab aliquo doctrinam audierit, præterquam in monasterio consecutus est ab eo cui se credit, hanc aut nonsuscipiat, aut eam non subtrahat doctori, quia scriptum est : *Omne quod manifestatur lux est* (Ephes. v). Si enim bona fuerint, colaudanda sunt ; si vero prava, reprobanda.

VI. De his autem fratribus qui in unitate consistunt, si quis subito adversus alterum altercatus fuerit semel, sed secundum Evangelium, ei liceat exorare. Si autem noluerit se emendare, ille cui injuria irrogata est, cum post primam vel secundam correptionem non revocaverit contumacem, denuntiet et illud abbati : ne per taciturnitatem et ille et frater suus periclitentur ; sicut Propheta ait : *Qui occultat inimicitiam instruit dolum* (Prov. xxvi).

VII. Si vero, ut fieri solet, incursio repentina supervenerit aut hostilitas, ut impossibile sit fratribus in unum fugam petere, propter insectationem inimicorum, et postmodum Deo favente evaserint, et potuerint pervenire ubi abbatem esse cognoverint, velut illi ad patrem festinare debebunt. Nec ullo

A modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit : quia cautum est : *Perfecta dilectio foras mittit amorem* (I Joan. iv).

VIII. Si quis autem, quod superius diximus, causa necessitatis detineat id quod a monasterio secum portaverit, necesse habebit ubi abbas suus est illud perferre, quia non poterit proprie retinere quod perfectum ad omnes pertinet, et Deo utique est consecratum. Sed si cogitaverit de his aliquid retinere, contradictor Apostoli esse videtur, qui ait : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem vos diligatis* (Rom. xiii).

IX. Omnia ergo quæ in isto libro continentur, omnes fratres observent atque subscribant, quia unum in Domino esse desiderant. Verum propter illos ista sunt cauta, qui in omnibus stabiles esse noscuntur.

LECTORI.

Consensoriæ monachorum, quam sacræ antiquitatis mangones hactenus pro Regula S. Augustini venditarunt, aliud veteris Regulæ fragmentum subjungo, quod itidem sub Augustiniano nomine delitescit, a quo doctissimi gravissimique viri jure merito id jampridem abjudicarunt. Nam Augustinum nonnisi unam regulam, eamque virginibus scripsisse certum est, quam nos infra suo loco exhibemus. Tertiam vero illam, de Vita eremitica ad sororem, longius ab Augustini ævo styloque abesse res ipsa indicat, et nos B. Aelredi Rievallensis in Anglia abbatis esse certo scimus, qui circa annum Christi 1150 vixit. Fors saveat, ut hujus quoque fragmenti auctor vel ætas certioribus indiciis innotescat.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEM.

Quæ de superiori regula diximus, et huic applicari possunt ; quia auctor incertus est, et male hæc regula S. Augustino, tanquam secunda ejus, attribuitur. Quinque tantum articulos continet, quorum primus circa officii divini dispositionem plerumque versatur, ubi auctor vespere a lucernario distinguit, ad quod officium ordinat unum psalmum et unum responsorium, tres antiphonas et tres lectiones, quam officii divini distributionem videtur ex S. Cæsarii et S. Aureliani Regulis desumpsisse. Unde existimat reverendissimus Calmetus

in suis Observationibus criticis, hanc regulam scriptam fuisse pro aliquibus monasteriis Galliæ vel Hispaniæ ad mare Mediterraneum sitis. Interim hic notare velim, hoc tempus dictum lucernarium, nostrarum vesperearum tempori convenire, nec per illud intelligi completorium a S. Benedicto inventum, quasi totius divini officii complementum ; et ideo illo peracto in monasteriis Benedicinis nullus audebat loqui vel publice legere ; cum tamen juxta Regulam monachi post lucernarium in unum conveniebant, et publicas lectiones audiebant.

ALIA REGULA INCERTI AUCTORIS.

I. Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus (Deut. vi) ; deinde proximus (Matth. xxi) : quia ista præcepta principaliter nobis sunt data. Qualiter autem oporteat nos orare vel psallere, describimus : id est, in matutinis dicantur psalmi III, LXII, VI et LXXXVIII, cum debitis antiphonis, versibus et responsoriis. Ad primam et tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam et nonam dicantur sui psalmi, cum debitis re-

sponsoriis et antiphonis. Hoc idem in vespere et completorio servetur. Ad lucernarium autem psalmus unus, responsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus, legantur lectiones. Nocturnæ autem orationes mense Novembri, Decembri, Januario et Febuario, antiphonæ duodecim, psalmi sex, lectiones tres ; Martio, Aprili, Septembri, Octobri, antiphonæ decem, psalmi quinque, lectiones tres ; Mai-